

1. Alberti / Valent: / diff. de  
munificentia Divina in  
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij / Dan: / ~~diff. fustem~~  
theses theologice de Quæstio-  
nibus a liquot controversis,  
Marburgi, 1695.
3. Hunnij / Azid: / proposi-  
tiones theologice de eter-  
na predestinatione Filio-  
rum Dei ad salutem,  
francofurti, 1594.



99A 6909



DEO DVCE ET AVSPICE  
**DE ANIMA  
RATIONALI**

*sive*  
*Mente humana,*  
*Auream Aristotelis doctrinam.*

SVB PRAESIDIO  
M. HENNINGI ARENTSEHE

*defendet*  
*In illustri Illustrissimi Iulij Iulia*  
*i. die Nouemb.*

*ANTONIUS VVEISEN VVernigerodensis.*  
*Hora & loco consuetis.*

*Horat.*  
Cuncti pene solent meliora reprehendere patres,  
Vel, quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt:  
Vel, quia turpe putant parere minoribus, &, quæ  
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

*HELM AESTADII typis Jacobi Lucij.*

*Anno M. D. C.*





*AMPLISSIMIS, NEC NON  
ERVDITIONIS LAVDE CELEBERRIMIS  
viris Dn. MICHAELI PVLMANNO. Dn. IOANNI  
LAFVRDO, & MATTHIAE LVTEROTH illi quis-  
dem ex consulari, his ex Senatorio ordine inclytæ Reipub.  
VVerningerodanæ, Dominis ac fauitoribus  
suis vt plurimum colendis*

S. P. precatur

ANTONIUS VVEISE.

**S**I quis, Clarissimi viri, totum, qui de naturæ re-  
conditis perscrutandis agit, librum non iugiter  
dumtaxat lecturiendo, sed & illa, suo quæ fouet  
amplexu, conquistè præponderando perlustrare  
dignatus fuerit, omnia iucunditatis & oblecta-  
tionis vt plena, ita non admiratione minus digna reperiet,  
pleniora verò & digniora nulla præterquam ea, quæ à Phi-  
losopho de præstantissima hominis parte, cuncta quâ ani-  
mantia multis præcurrit parasangis fusius pertractantur,  
quibus perspectis, humana intelligentia citra negotium sese  
eleuare, in Dædalici huius opificij factoris cognitionem  
deuenire, atq; stupendam ipsius potentiam satis superq;  
demirari poterit. Siquidem illorum, vt & reliquorum to-  
to quæ naturalis philosophiæ ambitu continentur, conside-  
ratio, mentes concreta vitiorum caligine effusas ab inco-  
ercibilibus atq; indomitis cupiditatibus auocat, efficitq;  
vti terrenis posthabitis de sublimioribus cogitent, diuinaq;  
& cœlestia meditentur. Cum itaq; ipso philosophorum  
prin-

principē contestante, illa, quæ de anima præsertim intelle-  
ctiua, est scientia, rerum non earum sit solummodo, quæ  
magis præstabiles magisq; admirabiles, sed & plus certitu-  
dinis ac utilitatis in sese cohibeant, haud immeritò ipsi no-  
bilitatis & excellentiæ palmam adiudicandam præ reliquis  
esse censemus. Quapropter hisce partim causis commo-  
tus, partim plausibilis huius materiei & dignitate & neces-  
sitate coactus, hæc de anima intelligente positiones sub  
prælum conijcere æquum iudicavi, vobisq; vt patronis ac  
Mæcenatibus, quorum benevolentiam & liberalitatem in-  
genij egregiam olim me degustasse, & adhuc magis ma-  
gisq; acrescentem sentire ratus fui, dedicare, gratoq;  
offerre animo minimè dubitavi, sperans vos æqui boniq;  
facturos, meq; meaq; studia pro facultatibus promo-  
tuos. Hisce breuibus vos omnes Deo Opt.  
Max. commendatos volo.  
Valete.





THESIS I.

Piccol. 2. de  
Ment. 18.



*Um de anima in genere ageremus, ex Aristotele demon-  
strauimus, omnem animam esse actum corporis primum,  
id est formam, quod ipsum conceptis verbis docet Ari-  
stoteles 2. de an. c. 2. nunc igitur idem de anima ratio-  
nali declarandum est, quia ordo ad eius explicationem nos deuoluit.*

Auer. 3. an. 2.  
t. 5. Them 3  
an. 20. &  
Iand.

*Est enim anima rationalis ultima forma, quae vegetatiua &  
sensitiua in homine superueniens, illum in supremo esse & specie con-  
stituit, quia homo per hanc intelligit se intelligere, sicut per sensum  
sentire: Et per eandem solam differt à brutis, quia Auerrois cogita-  
tiua, nihil aliud est quam supremus phantasiae gradus, ad quem illa  
ob copulam, quam cum ratione habet eleuatur. Thom. 1. p. q. 76. a. 1.  
Op. 16. 3. An. 1. 7. Lamb. 1. de an. Zab. de men. hu. c. 6. Conn. 2. an. c. 1.  
q. 6. Tol. 2. an. q. 2. Pere. de for. c. vlt.*

Card. de  
subt. Ant.  
Mir. 32 Mo.  
f. 1. & l. 33. f. 7.  
6. Piccol. 2.  
Ment. c. vlt.

*3. Ideo q<sub>3</sub>, cum anima informet, sua cui q<sub>3</sub> homini propria est, ne q<sub>3</sub>  
vel vna numero intelligentia, quae varijs illabens corporibus variè  
speculetur: vel ambulatoria est, quae ex vnius corporis exuuijs in ali-  
ud repat, sicut Iulianus Alexandri Magni animam sibi arrogauit, re-  
ferente Tripar. Laert. in pyth. AEli. de var. hist. Scal. ex 307. Scot. 4.  
d. 43. q. 2. Alb. tr. de intel.*

*4. Cum autem omnes formae informantes, partibus materiae sin-  
gulis insinuari debeant, quomodo illud in intellectum cadat, ambi-  
guum valdè est, dum alij materiae quantitate eam indui, alij totam  
in quavis parte ponunt, alij materiae quidem quantitate eam libe-  
rant, sed tamen per totum corpus effundi volunt sua virtute, perinde  
vt speciem fulguris per interuallum aëris: Zab. de part. an. 11. Pomp. 1.  
de nut. 11. Iand. 3. an. q. 5. Auer. 8. phy. 1. 78. Garb. in S. tr. 5. q. 49.  
Tol. 2. an. q. 5. Conn. 2. an. q. 9. AEgi. l. 1. d. 8. Tho. 1. p. q. 76. a. 8.*

*5. Quod si quantitate materiae dimensua intellectus indurus non  
est*

est ex diuisibili, puta ex materia potentia educi non potest, sed sublimiorem producendi modum requirit, qui post generationem datur non alius, nisi creatio, solius Dei opus, nec potentia finita primario communicabile, quo fortasse respexit Aristoteles  $\mu\acute{o}\nu\omicron\nu\ \tau\omicron\nu\ \upsilon\sigma\tau\ \tau\upsilon\gamma\acute{\alpha}\theta\epsilon\nu\ \epsilon\pi\iota\sigma\iota\ \epsilon\iota\upsilon\omicron\upsilon\ \eta\ \alpha\iota\delta\iota\omicron\nu\ \epsilon\iota\upsilon\omicron\upsilon\ \mu\acute{o}\nu\omicron\nu$  dicens Tol. 3. an. q. 17. Tho. q. 118. 1. p. a. 1. Lomb. Alb. 2. diff. 20. omnesq; ibi Scholastici Conn. 2. an. q. 3. calu. 2. Inst. c. 1. s. 7. Martyr. s. c. Rom. Beza in quaest. Hyper. Grynaeus de hist. ho. Lem. 2. ocul. 11. Viues 3. an. Rhodig. lect. ant. 8. c. 44. Gocle.  $\Psi\upsilon\chi\omicron\lambda\omicron$ .

Taurel:  
Peuc. Ha-  
uen. Briche  
Heerbr.

6. Ut autem intellectus natura inueniatur, cum Aristotele accingamur, & ab operatione auspicemur. Operatio autem intellectus est intelligere, quod cum sit veluti sentire, ab intelligibili intellectus intelligendo aliquo modo patietur.

7. Deinde sicut sensus potestate est: ita & intellectus nihil eorum, quae intelligit primo & per se in se continebit in specie vel gradu, quia sicut species saporis linguam inficiens iudicatinam aliorum saporum receptionem prohibet: ita & quod intellectum occupat, eum a reliquis, intelligendis auertet, siquidem  $\Pi\alpha\rho\epsilon\mu\Phi\alpha\iota\nu\acute{o}\mu\epsilon\tau\omicron\nu\ \kappa\omega\lambda\upsilon\eta\ \tau\omicron\ \alpha\iota\delta\iota\omicron\tau\epsilon\iota\omicron\nu\ \eta\ \alpha\iota\psi\iota\Phi\epsilon\gamma\eta\tau\eta\varsigma$ . Merc. in dil. Picc. 1. de men. hu.

Auer. 3. an.  
4. Jan. 3. an.  
q. 4. Sco. 2.  
d. 3. q. 8. Zim  
in q. de spe.  
intel. Coni.  
2. an. c. 1. q. 2

8. Iam autem cum intellectus omnia intelligat, oportet eum immixtum esse & a corpore etiam solutum, quia fieret, qualis quidam, ut calidus & frigidus: & videretur quodam instrumento, sicut sensitiua. Merc. in dilue.

Phil. de an.

9. Differt autem intellectus passibilitas ab ea, quae in sensitiuam cadit, quia sensus a vehementi sensibili destruitur: intellectus vero a vehementer intelligibili ut ledatur, tantum abest, ut etiam intetur & ad intelligendum exacuatur, eo quia incorporeus est, inseparabilis & proinde immortalis Picc. 2. Merc. Tol. 3. an. q. 16.

Casm. phys.  
Niph. de  
imm. 1. Sco.  
4. d. 43. q. 2.

10. Potestas intellectus declarata nequaquam est ipsa eius essentia, cum sit actus corporis, sed qualitas quaedam, qua idem species intelligibiles, quarum nullam praebet, recipere autem omnes potest, respicit, perinde ut materia prima formas: Eandemq; retinet etiam

Picc 1. de  
Men.



dum habitum acquisiuit, sed modo diuerso, siquidem tum ad illas, quas imbibit, species in potentia amplius non est, sed tantum ad earum contemplationem Conn. 3. an. c. 8. q. 1.

11. Priusquam autem latius abeamus obiectum intellectus exquirendum est. Cum enim alia sit caro, & carnis essentia, illa coniuncta cum materia, ut simum, hæc verò abstracta ut curuum: sensibus cognoscit homo, quod materiae immergitur, quod ab ea immune est, intellectu. Tole. 3. an. q. 20.

12. Ideoq; uniuersale adequatum est & primarium intellectus obiectum, cum abiunctum sit à materia, perinde, ut ipse intellectus, quod is cognitione confusa actuali, à phantasmatis elicitum cognoscit.

13. Sin vero ordinem intelligendi uniuersalia attendamus, prius cognoscere dicendus est intellectus, quæ maximè sunt uniuersalia, quia ea nobis notiora dicit philosophus 1. ph. eademq; & intellectum magis feriunt & facilius abstrahuntur. Zab. de ord. intel. c. 12. Iand. in proæ. 1. ph. q. 5. Tho. proæ. ph. & 1. p. q. 85. a. 3. de En. & Es. ibiq; Caiet. c. 15. Frac. 1. Int. Conn. 1. ph. c. 1. q. 3.

14. Singularia verò quod attinet eadem suas species sibi vendicant in intellectu, quia ab eodem distinguuntur, itaq; & cognoscuntur. Quinimò cum inductione, ex singularibus colligat intellectus uniuersale & indiuiduis imponat nomina, necesse est, ut ea intelligat. Fons. 1. Met. c. 2. q. 3. Them. Auer. Alb. 1. 9. 3. de an. Mirand. 32. Mono. f. 73. Picc. de hu. men. 1. c. 16. Zab. de ord. intel. c. 3. Conn. 3. an. c. 5. q. 4. c. 8. q. 5.

15. Quod si nunc singularia cum uniuersalibus comparemus, singularia licet non totam intellectus potentiam expleant, tamen ante uniuersalia cognosci videntur, quia illis uniuersalia innituntur, nec sine ijs præcognitis possunt abstrahi. Loquimur autem de cognitione confusa, quæ fit sine habitu. Pere. l. 3. c. 15. Zab. de ord. intel. 5. Conn. 1. ph. c. 1. q. 4. Burla. 1. ph. 1. 4. Duran. 2. d. 3. q. 7. Och. 1. d. 3. q. 5. Fons. 1. Met. c. 1. q. 3. f. 7. Scal. exer. 307. f. 21.

Obiectum



16. *Obiectum igitur humanae mentis adequatum, quod nimirum illi soli competat est uniuersale: commune autem cum imaginatione, singulare: quorum utrumque agit intellectum per species, quae fundatae in obiecto extra mentem existente: obiectiuae vocantur: formaliter autem rem representantes, formales* Picc. de hu. men. c. 20. Fons. 4. Meta. c. 2. q. 2. Zoar. d. 2. Met. s. 1. Tolet. 3. an. q. 21.
17. *Peculiaris autem est difficultas de speciebus singularium, quas & illi dari negant, qui eorum intellectum menti largiuntur, absque ratione tamen satis firma, quia si indiuidua confuse tantum, prout in generis notione includuntur, cognoscuntur, quidnam determinat mentem ad intelligendum Socratem potius quam Platonem?* Scot. 4. d. 45. q. 3. Burla. 1. ph. Per. l. 3. c. 17. Greg. 1. d. 3. q. 1. Fons. 1. Met. c. 2. q. 3. Coni. 3. an. c. 5. Tho. 1. p. q. 86. a. 1. & ibi Caiet. Capr. 1. d. 35. q. 2. Aegid. q. 3. q. 12. & 13. Sueff. 5. de int. c. 9. Picc. 3. Men. 7. Gotf. quod 4. Bac. 2. d. 6. q. 1. a. 3. Tho. 1. p. q. 85. a. 2. Zoar. d. 30. s. 11. Tolet. 2. an. q. 34.
18. *Porro species intellectui imprimuntur, multumque ab actu intelligendi differunt, quia per has intellectum cum intelligibili uniri necesse est, & per has intellectus pati dicitur, qui si tantum iudicet, aget potius, quam patietur* Zab. de spe. intel. c. 5. Scot. 1. s. d. 3. q. 6. 7. Tho. 1. p. q. 85. a. 2. Conn. 3. an. c. 5. q. 3. Tol. 3. an. q. 21. Capr. 1. d. 35. q. 1.
19. *Licet enim intellectus intelligendo patiat, non tamen interea nihil agit, sed simul speciem receptam iudicat, discernit & circa eam discurret, quod ad actionem pertinet. Vnde patet species in intellectu consistentes formaliter rerum essentias representare, & simul ut obiecta in intellectum agere.* Scot. 1. sent. d. 3. q. 7. Arim. 2. d. 7. q. 3. Conn. 2. an. c. 6. q. 2. a. 3.
20. *Species dico in intellectu existere, quoniam in illo post intelligendi actum remanere possunt, licet ob negligentiam intellectus non semper intelligantur.* Tho. 1. p. q. 99. & 79. a. 6. de. ver. q. 10. a. 2. Conn. de me. c. 1. Tolet. an. q. 21. Auic 6. nat. 6. Zab. de spe. int. 6.
21. *Hinc oriuntur nonnullae dubitationes, cum dixerimus intellectum pati: ijs autem quae patiuntur & agunt, commune quoddam intercedere necesse sit, in quo intellectus & obiectum conueniant. Nimirum obiectum illustratum respicit intellectum, ut actus potentiam, quippe, cum anima similis sit codici, in quo nihil scriptum sit,* Plat. in phaed. Mē. 10. de Rep. Capr. prol. sent. q. 3. Lambe. ad t. 14. 2. de na.



omnia tamen inscribi possint. Tho. 1. p. q. 84. a. 5. q. 79. a. 2. Conn. 5. an. c. 8. q. 1. Picco. 3. de Ment. c. 10. Tol. 3. an. q. 9.

Auer. 3. an.  
8. Arim. 1.  
d. 3. q. 2.

22. Deinde quomodo intellectus intelligit seipsum? An sub eadem ratione, qua intelligit cetera intelligibilia, nempe quia immaterialis est & cognosci aptus, non quidem per suam essentiam, sed per speciem, quam reflectendo se super humanam naturam sibi finxit. Tho. 1. p. q. 87. & q. 89. a. 2. Tolet. 3. an. q. 11. Conn. 3. an. c. 8. q. 7. AEgid. quod l. 2. q. 13. Hen. Gand. quod. 1. q. 12.

23. Nunc ut ad differentias animæ descendamus, sumamus principium illud Aristotelis, quod unicuique habenti se ut materiam & potestatem, respondeat aliquid quod sit actus, & vim efficiendi traducendique potestatem ad actum habeat, quippe cum idem secundum idem simul actu & potestate esse nequeat, multo minus seipsum ex potentia in actum vindicare.

Dura. 1. d. 3.  
q. 5. Scal. ex.  
307. f. 18.

24. Quod si iam intellectum quendam, qui potestate omnia sit, demonstrauerimus, adiungendus huic erit alter, qui omnia actu intelligibilia faciat, & ad potestatem affectus sit, ut ars ad materiam, aut lumen ad colores. Hic vocetur intellectus agens, sicut alter patiens vel possibilis. Tho. 1. p. q. 79. a. 3. ibique Caiet. Capre. 4. d. 49. q. 4. Zab. de Men. ag. Picc. de Men. 1. c. 6. Phil. de an. Conn. 3. an. c. 5. q. 1. Tol. 3. an. q. 13. Scot. 1. d. 3. q. 8. Merc. in dil.

Sue. 1. de int.  
tr. 4. c. 21.  
Mai. 2. d. 16.  
q. 1.

25. Aristoteles vocat utrumque intellectum, animæ differentias, annuens uni animæ inesse duas facultates, non formaliter tantum, sed etiam re ipsa differentes, quarum una omnia intelligibilia faciat, altera omnia intelligat. Tho. 1. p. q. 54. a. 1. Scot. 1. d. 3. q. 8. Conn. 3. an. c. 5. q. 1. Alb. de intel. ag.

Alex. de int.  
ag. Zab. de  
Ment. ag.  
c. 13. Card. de  
sub. Auic. 9.  
Met. c. 4.  
Caiet. Pac  
in com.

26. Vnde patet error Alexandri, qui pro mente agente introduxit Deum, & Auicennæ, qui substantiam separatam. Quasi enim, inquit Scaliger, Deus, cum intellectum fabricaret, nequiverit ei, quantum satis esset, lucis insinuare: sed ipse coactus sit assistere præsens ministerio, tanquam præfectus quidam prætorio. Scal. ex. 307. f. 19. Picc. 1. de Ment. c. 12. Tho. 1. p. q. 79. a. 4. & 5. Conn. 3. an. c. 5. Tol. 3. an. q. 14. AEgid. 3. de an. ad 1. 18. & communis Scholæ Latin, Opus

27. Opus intellectus agentis consistit in hoc, ut instar forma perfectis coniungatur phantasmalibus eaq<sup>3</sup> illuminet: & deinde complicatus cum illustratis phantasmalibus effectiue se conuertat ad intellectum patientem, deducendo eum ex potestate ad actum.
28. Si enim intellectus agens, in solum patibilem ageret, iam phantasmata reciperentur ea ratione, qua consistunt in phantasia nimirum singulariter, nec in sua phantasia irradiarentur, quod universalium intellectio non patitur: aut etiam intellectus agens potestatem patientis expleret sine obiecto Zab. de Men. ag. c. 4. & 5. Merc. in dil. Auer. 3. an. 1. 18. Ioh. Gan. 3. an. q. 23.
29. Si intellectus agens ageret tantum in phantasmata, quomodo vim haberet ratio Aristotelis, qua ex potestate intellectus possibilis, actum intellectus agentis deducit, eò, quod potestas passiva requirat actiuam ut in actum traducatur? Zab. de Men. ag. 3. Scot. in Quod. q. 15. Picc. 1. de Men. c. 7. Conn. 3. an. c. 5. q. 2. Tol. 3. an. q. 14. Merc. in dil. Bac. 1. q. 2. prol. Tho. 1 p. q. 79. a. 3. Picc. 1. Men. 8.
30. Ex his liquere potest, quod sola phantasia intellectui proxime subministrat phantasmata offerendo, quibus superueniens intellectus agens ut lumen colori, eleuat ea ad intellectum possibilem, qui species abstrahit & inter eas iudicium facit, dum interim intellectus agens eodem cum patiente motu non intelligit. Zab. de Men. ag. c. 6. Fons. 5. Met. c. 28. q. 8. Conn. 3. an. c. 5. q. 6. & 5. Caiet. Apol. 3. an. q. 6.
31. Obiecta autem quorum species confuse euocat sua illustratione intellectus agens, in phantasmalibus presunt, quippe, cum & universalia secundum suam aptitudinem singularibus insint, tamen si universalitatem suam existentem, qua definiuntur pluribus inesse, non habeant nisi intellectus eam sine differentijs contrahentibus apprehendens pariat. Sco. 2. d. 3. q. 1. Tho. op. Ent. & Es. 4. Caiet. ibidem. Monlo. in q. denu. Scal. ex. 307 Ant. And. 2 d. 3. q. 16. Zoar. d. 6. s. 3. 4. 5. 6.
- Fons. 5. Met. c. 28. q. 5. Auer. 1. an. 1. 8.
32. Sit verbi gratia in phantasia lapis, quem illustrans intellectus agens, ab eo elicit, non tantum predicata essentialia ut corpus, substantiam, Eus, sed etiam accidentalia, ut quantum, quale &c. & hoc obiecto obiectiue illustrato ferit intellectum patientem, qui species



eies illuminatione illicitas abstrahit & speculatur, apprehendens  
Ens, sine substantia, quantitatem absq; qualitate, & ita consequen-  
ter: qua ratione utriusq; intellectus munia concinnè explicantur &  
vniuersalium generatio, aq; differentijs indiuiduantibus segrega-  
tio optimè declaratur. Zoar. disp. 6. Met. 6. Tho. 1. p. q. 16. a. 3. ad. 2.  
Fons. 5. Met. c. 28. q. 5. & 6.

33. Cum igitur tam nobilis sit intellectus agentis operatio, ut sua  
natura agens patiente est prestantius, merito separabilis erit, & à  
sentina corporis alienus, cum illud de passibili supra demonstratum  
sit, imò etiam passione vacabit, cum non sit potentia, ut patiens, sed  
sua natura *ἐνεργητικῶς*, quippè qui omnia intelligibilia faciat.

AEgid. de  
mens. ang.  
q. 10. Caiet.  
1. p. q. 79. a. 2.  
Scot. 1. d. 3.  
q. 6. Picc. 3.  
Men. 6.

34. Consequentèr nunc de intellectu agendum est, quæ non  
est tantum qualitas sed reuerà actio, ut Aristoteles 10. Eth. c. 3. de  
operationibus virtutum docuit, eiusq; terminus verbum, quod ab in-  
tellectioe differt, perindè, ut terminus ad quem à motu, non qui-  
dem realiter sed formaliter. Conn. 3. an. c. 8. q. 3. & 4. Duran. Och.  
Gabri. Lichet. & alij Scotistæ 1. d. 17. Capre. 1. d. 27. q. 2.

35. Duplex est intellectio, altera apprehensio simplicium, quæ  
precedit & neq; verum neq; falsum habet: altera eorundem compo-  
sitio, cuius propriè est veritas & falsitas, quia Ens cum Ente vel cum  
non Ente componit sine vel cum tempore adhibito.

36. Intellectio simplicium versatur in indiuisibilibus, quæ indi-  
uisibilis intellectus tempore indiuisibili cognoscit. Quia verò indi-  
uidua aut potestate sunt, ut punctum: aut actu & vel in quantita-  
te, ut continuum, vel in forma, ut homo, hæc secundum suam indiui-  
sibilitatem apprehendit intellectus per se, illa per accidens, sicut ma-  
lum per bonum, priuatio per habitum & in genere contrarium per  
contrarium notificatur. Auer. & Simpl. in com. Picco. 3. Men. c. 3. Tol.  
in com.

Tho. 1. p. q.  
85. a. 4.  
ibiq; Caic.  
M. Alb 3.

37. Quod si indiuisibiliter res apprehendantur dubitare contin-  
git, an simul plura, non confuse aut in vniuersalibus inclusa, nec in  
vno tertio conuenientia intelligere intellectus possit, ubi, sicut visus  
multa

multa obiecta simul videt, ita & intellectus multas species simul im-  
bibere & intelligere posse videtur, praesertim cum sensu sit subtilior &  
immaterialius operetur: & in diuisione verbi g: lapis non est asinus,  
simul & asinum & lapidem, tanquam diuersas species speculetur.

d. 30. a. 4.  
Picc. 3. Men.  
c. 3. Cap. 2.  
d. 3. q. 2.

Conn. 3. an. c. 8. q. 7. Scot. 1. d. 3. q. 6. Mar. 1. d. 3. q. 11. Gand. 3. an. q. 33.  
38. Postquam prima operatio mentis, apprehendens res ut offe-  
runtur, perfecta est, succedit altera, quae componit vel affirmando  
vel negando: Hae si solas res inter se connectit, vel definitionem  
eiusq; partem de re enunciat & parit primum modum dicendi per  
se: vel accidens proprium de suo subiecto & parit secundum modum:  
si tempus adiungit, vel simpliciter id facit ut Ecclipsis erit cras: vel  
tempus predicatio apponit, ut, Luna cras Ecclipsabitur. Zab. 1. de  
prop. necess. Picc. 3. Men. 4.

39. Porro intellectus non tantum intelligit res sub ratione veri,  
sed etiam eas interdum appetit & fugit, quod vocant intellectum  
practicum. Perinde enim sicut in sensum sensibile imprimitur, dein-  
de sensus illud ut iucundum vel molestum sentit: & tandem vel fu-  
git vel appetit: ita & phantasma offertur intellectui, & ab eo, vel  
sub ratione boni vel mali apprehenditur, ac deniq; aut vitatur aut  
expetitur, unde necessum est intellectum practicum non operari sine  
phantasmatis, quia actio dirigitur ad particularia.

40. Unde patet errare eos, qui propositionem Aristotelis: Oportet  
intelligentem speculari phantasmata, tanquam vniuersaliter de o-  
mni intellectu prolatam interpretantur. Licet enim propter  
nexus intellectus cum phantasia plerumq; vel etiam si libet, semper  
fiat, non tamen phantasmata, ut obiecta, semper sunt necessaria, dum  
intellectus ad epius vel in habitu speculatur. Tho. 1. p. q. 89. a. 8. q. 94. a.  
2. Sco. 1. d. 3. q. 3. & 4. d. 45. q. 2. Conn. 3. an. c. 8. q. 8.

Zab de spe.  
in Picc. 1. de  
Men.

41. Atq; haec tenus doctrinam Aristotelis de mente humana expli-  
cauimus, quae, ut & omnia alia, acutè & solerter à suo auctore tradi-  
ta est: ita, ut ab aduersariorum cuniculis facile se vindicet.

AD

AD DN. ANTONIVM VVEI-  
SEN *amicum suum carissimum.*

**E**Rgo tribunitiam iurata inscitia linguam,  
Et graphicum mentita supercilium arida laudis  
Efuries, nebulam non vnquam spargere stellis  
Dediscet? nunquam monitus meliora sequetur,  
Quem sibi surripuit personato ebria fastu  
Ambitio? ane Deum credet mortalia quenquam  
Procurare? Deum, quem fastus, fallere frontes  
Promeritas meliora catus, violentius vrit,  
Quam si nocturno penetralia sanguine spargas  
Hospitis, aut cineres in auitos improbe, mingas.  
Sic est: quod vitio sibi nesciuisse vel ipsi  
Quisq; dat, imberbis quod spreuit, id inuidet olim  
Ingenuis animis: nigra id lolligine totus  
Ipsè niger perfundit, id urbem est vertere damnas.  
Tu tamen, Antoni, deuote animè optime Musis,  
Quam procul his habitas? longè tibi verior istis  
Mens est: quem ex illo, quo imitari voce parentem,  
Et bimulo meditari animo vestigia primùm  
Cepisti, irrepsit solidæ sapientiæ & artis  
Nil nisi se quærentis amor. Iam vbi grandior ætas  
Esse virum patitur, magis optimus implicat error  
Extricare animum se segnem: vtut æstuet atra  
Inuidia & sufflet tibi se: tamen impiger illi  
Assurges. Errent alij, quæis Iuppiter artes  
Inuidit; sit ius, liceatq; perire superbis,  
Ireq; lassatas quâ Dædalus exuit alas.  
Tu, qua litterulis sic impallescere perges,  
Sublimi feries vaga sidera vertice, & album  
Doctorum augebis, doctissimus ipse vocatus.

*Henningus Arent sehe Halb.*

99 A 6909

ULB Halle

3

003 931 315




*Sb*

VD 17


Reho

*Hilb.*









# 7



DEO DVCE ET AVSPICE

# DE ANIMA RATIONALI

*sive*  
*Mente humana,*  
*Auream Aristotelis doctrinam.*

SVB PRAESIDIO  
M. HENNINGI ARENTSEHE

*defendet*  
*In illustri Illustrissimi Iulij Iulia*  
*i. die Nouemb.*

*ANTONIUS VVEISEN VVernigerodensis.*

*Hora & loco consuetis.*

*Horat.*

*Cuncti pene solent meliora reprehendere patres,  
Vel, quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt:  
Vel, quia turpe putant parere minoribus, &, quæ  
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.*

*HELMÆSTADII typis Jacobi Lucij.*

*Anno M. D. C.*

